



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XVI. De ordinatione ecclesiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179. per ecclesias acquisita, in alios usus presumant transferre. Hoc igitur quia & antiquis Canonibus constat inhibitum, nos etiam nihilo minus inhibemus. Indemnitati itaque ecclesiarum prouidere volentes, siue intestati decesserint, siue aliis conferre voluerint, penes ecclesias eadem bona præcipimus remanere. Præterea quoniam quidam in quibusdam partibus sub precio statuuntur, qui decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate episcopalem iurisdictionem exercent, præsenti decreto statuimus, ut qui de cetero id præsumperit, officio suo priuetur, & episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.

XVI.

Cum in cunctis ecclesiis, quod pluribus, & senioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debet obseruari: graue nimis, & reprehensione est dignum, quod * quarumdam ecclesiarum pauci quandoque non tam de ratione, quam de propria voluntate ordinationem * multoties impediunt, & ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca præsenti decreto statuimus, ut nisi a paucioribus & inferioribus aliquid * rationabile fuerit ostensum, appellatione remota, semper præualeat, & suum consequatur effectum, quod a maiori, & * seniori parte * capituli fuerit constitutum. Nec nostram constitutionem impedit, si forte aliquis ad conseruandam ecclesias suæ consuetudinem iuramento se dicat adstrictum: non enim dicenda sunt iuramenta, sed potius periuria, quæ contra utilitatem ecclesiasticam, & sanctorum pa-

LII iij

trum veniunt instituta. Si autem huiusmodi con-
suetudines, * quæ ratione iuuantur, & sacrī con-
gruunt institutis, * irritare præsumperit, donec
congruam egerit pœnitentiam, a dominici corpo-
ris perceptione fiat alienus.

XVII.

Quoniam in quibusdam locis ecclesiarum fun-
datores, aut heredes eorum potestate in qua eos
ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur: & cum in
ecclesia Dei vñus debeat esse qui præsit, ipsi plures
sine respectu subiectionis eligere moluntur: &
cum vna ecclesia vnius debeat esse rectoris, pro sua
defensione plurimos repræsentant. Quocirca præ-
senti decreto statuimus, vt si forte in plures partes
fundatorum se vota * diffuderint, ille præficiatur^{dissimilans}
ecclesiæ, qui maioribus iuuatur meritis, & pluri-
morum elititur & probatur assensu. Si autem hoc
sine scandalo fieri nequuerit, ordinet antistes ec-
clesiam, sicut melius secundum Deum viderit or-
dinandam. Idipsum etiam faciat, si de iure patro-
natus quæstio emerserit inter aliquos, & cui com-
petat, infra * tres menses non fuerit definitum.

XVIII.

Quoniam ecclesia Dei & in iis quæ spectant ad
subsidiū corporis, & in iis quæ ad profectum ve-
niunt animarum, indigentibus sicut pia mater pro-
uidere tenetur: ne pauperibus, qui parentum op-
ibus iuuari non possunt, legendi, & proficiendi op-
portunitas subtrahatur, per vnamquamque eccl-
esiām cathedralē magistro, qui clericos eiusdem
ecclesiæ, & scholares pauperes gratis doceat, com-